

# SCRIPTA

---

**Numéro Scripta :** 6838

**Auteur(s) :** Henri II Plantagenêt, Angleterre (roi)

**Bénéficiaire(s) :** Caen, Saint-Étienne (abbaye)

**Genre d'acte :** charte

**Authenticité :** non suspect

**Datation :** [1156-1161]

**Lieu d'émission :** Caen

**Action juridique :** confirmation

**Langue du texte :** latin

## Analyse

Confirmation des biens de l'abbaye Saint-Étienne de Caen et ratification de divers droits reconnus à cette abbaye.

## Tableau de la tradition

### Éditions principales

a. Berger Élie, Delisle Léopold, *Recueil des actes de Henri II, roi d'Angleterre et duc de Normandie concernant les provinces françaises et les affaires de France*, Paris, Imprimerie Nationale (Chartes et diplômes relatifs à l'histoire de France), 1916-1927, 3 vol., n° CLIII, t. 1, p. 264-267.

## Dissertation critique

Souscription du chancelier Thomas prouvant que la pièce est au plus tard de 1161. Sur la datation de cet acte, voir DELISLE/BERGER, *Recueil des actes de Henri II*, t. 1, p. 264.

Texte établi d'après a

H., rex Anglorum, et dux Normannorum et Aquitanorum, et comes Andegavorum, archiepiscopis, episcopis, abbatibus, comitibus, baronibus, justiciis, vicecomitibus, ministris et omnibus fidelibus suis tocius Anglie et Normannie, salutem.

Sciatis me concessisse et confirmasse et reddidisse Deo et Sancto Stephano de Cadomo et monachis ibidem Deo servientibus, pro salute anime mee, patris ac matris, uxoris, filiorum ac parentum meorum, antecessorum et successorum, quicquid rex Willelmus, proavus meus, vel rex Henricus, avus meus, ecclesie predictae dederunt et concesserunt ut carte eorum testantur, et quicquid rationabiliter tenuerunt tempore regis W. proavi mei vel Henrici avi mei, et quicquid datione vel emptione seu commutatione vel quibuscumque rationabilibus modis adquisiverunt temporibus illorum et meo. Quare volo et firmiter precipio quod omnia illa teneant bene et in pace, libere et quiete et honorifice, cum omnibus pertinentiis suis, in bosco et plano, in pratis et pascuis, in viis et semitis, in aquis et molendinis, in piscariis et in omnibus rebus, cum omnibus libertatibus et dignitatibus et consuetudinibus cum quibus melius et liberius tenuerunt, tempore regis W. vel regis Henrici avorum meorum et meo: manerium scilicet de Northam in Anglia, situm in comitatu de Devenesira, ita solidum, liberum et quietum, cum omnibus appenditiis et consuetudinibus que ad ipsum manerium pertinent, reddo sicut Mathildis regina, uxor regis Willelmi proavi mei, illud tenebat quando illud Sancto Stephano predicto dedit, sicut carta regis W. proavi mei testatur. Et in comitatu de Dorsetha concedo duo maneria, unum quod vocatur Franthona, et aliud quod vocatur Biencomme ; in comitatu de Summersetha, in territorio Cruche, hyddas X. terre, et ecclesiam cum omni decima ejusdem territorii ; in comitatu

de Wilthesira, ecclesiam de Cosham, cum omni terra et decima ad eam pertinente ; in comitatu de Northfolc, manerium quod vocatur Welles, quod dedit predicto cenobio Willelmus de Coeiis, cum ecclesia de Morthona et terra, cum decima eidem ecclesie pertinente ; in Essessa, in comitatu de Essessa, maneriolum quod vocatur Panfelta, solidum et quietum ab omnibus consuetudinibus ; et in Lundonia quendam terram que fuit Leivret, sitam prope ecclesiam Sancti Petri, quietam de eleth et de scoth et de omni alia consuetudine, que dedit Walerannus filius Rannulfi, cum decima tocius terre sue quam habuit in Anglia ; in comitatu de Dorsetha, manerium de Briditona, quod rex Henricus avus meus predicto Sancto Stephano dedit et concessit cum soco (sic) et saca et thol et them, et cum omnibus aliis consuetudinibus ad idem manerium pertinentibus, pro redemptione anime sue et omnium parentum suorum, et partim pro corona ceterisque ornamentis eidem corone adjacentibus, que pater suus Willelmus rex, proavus meus, moriens predicto sancto dimisit, et partim pro ecclesiis de Crucha et de Cosseham, sicut rex Henricus avus meus per suam cartam testatur et confirmat ; in comitatu de Berchesira, terram quam Willelmus proavus meus dedit Sancto Stephano in Hemreth. Sciatis me concordiam concessisse que facta fuit coram me inter abbatem de Cadomo et Jordanum de Veeus et Helisendem, uxorem ejus, de feodiis (sic) Roberti de Willeio et Radulfi de Hotot, ita scilicet quod dimidium illorum feudorum remanebit in perpetuum in dominio abbatis de Cadomo, et dimidium in manu et dominio predicti Jordani, ad tenendum hereditarie de predicto abbate per servitium quod terra illa debet, et in illa medietate que in dominio abbatis erit remanebit maritagium Emme uxoris Radulfi Gulafri, quod de feodis illis est, sic quod predictus Jordanus ad valentiam habebit de parte abbatis contra illud maritagium. Et volo et firmiter precipio quod hec conventio et concordia firma et stabilis imperpetuum permaneat. Concedo vilanagium de Brathevilla, quod Robertus de Mattonio dedit in elemosinam Sancto Stephano, quando monachus ibi effectus est, et comes Gaufridus de Mandevilla illud sancto coram me reddidit et per cartam suam firmavit, consilio Warini Filii Gerout, apud Cadomum. Concedo etiam recognitionem factam per juramentum decem legitimorum hominum, coram Roberto de Novoburgo dapifero Normannie et aliis ministris meis, presente abbate et Anselino presente et assentiente, cum fratribus suis et amicis de quibus abbas conquerebatur, quod portus Dive proprius est Sancti Stephani totus, cum omnibus consuetudinibus venientium et recedentium per mare. Si autem Anselinus et homines sui naves proprias habuerint, licet per portum Dive intrare et exire, cum suis propriis catallis tantum, sine consuetudine, si ad Cadburgum redierint vel inde exierint. Licet etiam Anselino et hominibus ejus emere ultra aquam ex parte Dive, sine consuetudine, ea tantum que ad victum pertinent, et ligna tantum que sufficere possint ad salinas, unde abbas habet quater XXti et VIIIto quarteria salis per annum, sicut ibidem coram justiciis recognitum fuit. Recognitum est etiam quod tota aqua, cum piscariis usque ad tofum Sancti Michaelis de Cadbure, propria est Sancti Stephani. Licet autem Anselino in eodem tofo palos figere et piscariam facere ; ibidem etiam recognitum est quod totum warac de mari proprium est Sancti Stephani. Recognitum est etiam quod tota terra Durandi de Diva est consuetudinaria, unde ipse consuetudines retinuerat et de dominio Sancti Stephani VII. mansuras occupaverat. Recognitum est etiam quod Anselinus debet unum presentum afferre ad festum Sancti Stephani in Augusto de piscibus et lacte et butyro. Recognitum est etiam quod omnes mansure de Diva consuetudinarie sunt exceptis duabus mansuris, scilicet mansura Hugonis filii Rohais et mansura Gilleberti Carbonee. Recognitum etiam fuit in plena assisia, apud Abrincas, per legales homines provincie, quod homines abbatis Cadomi de manerio de Veim quietantiam suam habent de omnibus rebus venditis et emptis in Abrincis, excepto die mercati. Recognitum etiam fuit, apud Rothomagum, coram Roberto dapifero et baronibus Normannie, quod Stephanus filius Walteri de Rothomago debet reddere per annum abbati et monachis Sancti Stephani de Cadomo L. solidos Rothomagensium pro cellario quod rex Willelmus dedit Sancto Stephano apud Rothomagum, et recognitum fuit quod predictis monachis remanserunt sua prata de Abapalmis quieta, unde Willelmus filius Thetionis de Fonte, qui in illis clamabat jus, defecit se de jure et de consideratione recti, coram Roberto et coram baronibus Normannie in curia regis, et de assisia quam inde requisierat. Recognitum etiam fuit coram Rothrodo Ebroicensi episcopo, dapifero Normannie, et coram Philippo Baiocensi episcopo, et aliis justiciis, quod Willelmus filius Gerowart et Rogerus filius Henrici et Robertus filius Gislemar debent reddere consuetudines de domibus quas habent in burgo Sancti Stephani, et domos Hugonis Fabri esse consuetudinarias, excepta una, et domos Radulfi Vituli, nisi carta regis Willelmi testaretur unam esse quietam, et domos servientium de Vileriis similiter esse consuetudinarias, nisi quod unusquisque habet unam quietam, et similiter domos pratarii, excepta una, similiter domos facientium sotulares monachorum esse consuetudinarias, preter unam ; et est iudicatum nullam quietarum domuum habere nisi unam familiam et unam fenestram. Concedo emptionem quam fecit Willelmus abbas a Johanne filio Conani canonico Baiocensi, scilicet totam terram suam de Ceusio, que est de fedio Sancti Stephani, pro XXIII. libris Andegavensium. Hanc terram posuit super altare Sancti Stephani, et sacramento fidei confirmavit eandem terram, in presentia regis Henrici, concedere ut convenit contra omnes [et] ab omni clamore insurgente

defensare quamdiu vixerit. Concedo donum quod fecit Radulphus Malo Sancto Stephano in vita sua, scilicet VII. acras de terra sua, et post decessum suum totum quod remans[er]it concessit. Concessit etiam Colda domum suam post obitum suum et omnia quecumque haberet, et Radulfus de Bonesboz concessit Sancto Stephano duas partes decime tocius terre sue de Fontaneto, concedente domino suo. Concedo emptionem quam fecit Willelmus abbas a Radulfo fratre Vitalis, scilicet VI. acras terre quas tenebat in fedium de predicto sancto in Ceus, pro quibus faciebat serraturas portarum Ceusii pro C. solidis Cenomanensium. Concedo concordiam factam inter monachos Sancti Stephani et ministros regis de terra de Brideport et de Bridetona, et concordiam abbatis et Ricardi Filii Ezdiz apud Londoniam. Concedo etiam donationem quam fecit Robertus de Meltiz Sancto Stephano, ecclesiam scilicet Sancti Hylarii que est sita in villa Meltiz, cum IX. acris terre, quod est alodium ejus, cum decimis, oblationibus, sepulturis et omnibus que ad ejusdem ecclesie jus pertinent. Dedit etiam de alodio suo in eadem villa LX. acras terre, quarum XXX. ex una sunt parte, in altera vero XXX. ex altera.

Hec omnia prescripta predictae ecclesie et monachis ibidem Deo servientibus concedo et confirmo habenda et tenenda in perpetuam elemosinam ita libere et quiete sicut carte regis Willelmi et regis Henrici avi mei eis confirmant et testantur, et quecumque hic prescripta sunt, que rationabiliter adquisiverunt et que eis rationabiliter data sunt.

Testibus : Rothroco Ebroicensi episcopo, Philippo Baiocensi episcopo, Arnulfo Lexoviensi episcopo, Thoma cancellario, Gaufrido Ridel, Gaufrido capellano, Willelmo Filio Martini, Ricardo de Humetis, Manassei Biseit, Willelmo Filio Johannis, Godart de Vaus, Jordan Taixon, Ricardo de Haya.

Apud Cadomum.